

DE

IVRE ADCRESCENDI  
AD EMTOREM HEREDITATIS  
HAVD PERTINENTE

ILLVSTRIS

JVRISCONSULTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

# IOSIA LVDOVICO ERNESTO PÜTTMANN

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORD  
NEG NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXX. MARTII MDCCCLXXX

H. L. Q. C

D I S P V T A B I T

FRIDERICVS CAROLVS SIEGMANNVS

STOLLBERGENSIS

LIPSIAE  
EX OFFICINA HOLLIE





DISSE<sup>T</sup>RAT<sup>I</sup>O  
DE  
IVRE ADCRES<sup>C</sup>ENDI AD EMTOREM  
HEREDITATIS HAVD PERTINENTE



In malis, quae genus vrgent humanum, haud iniuria etiam numeratur naturalis illa hominum ad dissentendum facilitas, de qua suo iam tempore **V LPIANVS** in *L. 17. §. 6. D. de recept. arbitr.* questus est. Ut nihil de philosophorum, quorum iam **VARRO** ducentas octoginta octo diuersas numerabat sectas, vt nihil de medicorum (fere etiam addidissem Theologo-

logorum) concertationibus dicam, cui quaeſo ignotae veterum diſſenſiones ICtorum, qui tantum abeſt ut idem omnibus in rebus ſenſerint; vt ne vnius quidem vna ſemper eadem de re ſententia fuerit. ') Eſt, inquit, QVINTILIAN. Inſt. Or. III. i. infiſta diſſenſio antorū, primo ad ea, quae rudiā atque imperfēcta adhuc erant, adiūcientib⁹, quod inveniſſent, ſcriptorib⁹, mox, ut aliquid ſui viderentur afferre, etiam recta mutantib⁹. Quid igitur mirum, ſi etiam hūum Themidos inter ſacerdotes indies fere ſententiarum multiplicari diuerſitatem, ſaepiſſimeque diſſentire videas eos, qui conſentire publicae cauſa vtilitatis, quam qui maxime, deberent? Quod vti fere ſemper vſi venit iis in cauſis, quae claris diſertisque legibus decisiae haud reperiuntur, ita idem etiam accidit ea in quaefiōne, quae nobis iam prae manibus eſt, et in qua enodanda in praefenti cum maxime versari vel ideo conſtituimus, quia eadem non modo intricateſſima eſt, ſed in foro etiam haud raro vtramque in partem diſceptatur iudicaturque.

Species haec eſt. Caius et Titius heredes a Sempronio inſtituuntur. Mortuo teſtatore Caius, adita pro parte ſua hereditate, illam (puta ſemifem) vendit Seio, haud dubitans fore, ut Titius coheres ſibi exiſtat. Vendita ſemifem hereditatis appetet, Titium (quia forte heres fieri aut non vult, aut non potefit,) deficere. Quaeritur iam, ad quem pars ei a teſtatore relicta pertineat? cedarne Caio, tamquam venditor, an Seiuſ, tamquam emitor alterius ſemifem, pottore in ea iure gaudeat? Ratioes virinque haud leues. Quaenam praeponderent, id ipsum eſt, in quo haecce verſabitur diſceptatio.

*Qui eſt ob, antea hoc inſtituuntur, haud inueniuntur.* Ante-

*sa. Quidam diſcretus invenitur.* *Quidam diſcretus invenitur.*

¶ Eleganter SENECA Ep. 102. Putas tu, poſſe ſententiam vnaui omnium eſſe? Non eſt vnius vna, nec non PLINIUS Lib. 29. cap. 1. Hinc illae ſententiae circa negros miserae ſententiarum concertationes, nullo idem cengeſte, ne videatur accrefio alterius.

*egof*

Antequam autem cardinem rei adgrediamur, de hereditate eiusque venditione, nec non de iure ad crescendi generationis patricula praemittere, haud superuacaneam erit.

Hereditatis vocabulo Icti non bona, seu res hereditarias corporales, sed potius incorporeae quid, seu ius hereditatis, intelligent. Frustra sane est SENECA de Ben. VI 5. hoc discrimen inter tricas Ictorum referens his verbis: *Ictorum istae acutae ineptiae sunt, qui hereditatem negant, usucapi posse, sed ea, quae in hereditate sunt: tamquam quicquam aliud sit hereditas, quam ea, quae in hereditate sunt.* Haud quidem defuerunt, qui SENECAE ea in re defensum irent. Vid. ev. OTTO in Papinian. p. 197. Sed haud iniuria E. BRISSONIUS de V. S. sub v. *hereditas* insulsum hunc SENECAE risum vocat, nec male CORN. VAN ECK ad Tit. D. de her. vel act. vend. hac occasione vetus illud: *risu inepto res ineptior nulla est,* repetuisse mihi videtur. Nemo enim de fundamento huius distinctionis, spero, dubitabit, si legerit, quod IVSTINIANVS scribit in §. 1 et 2. I. de reb. incorp. *Res corporales haec sunt, quae sive natura tangi possunt, veluti fundus, homo, vestis, aurum, argentum, et denique alias res innumerabiles.* Incorporales autem sunt, quae tangi non possunt: *qualia sunt ea, quae in iure consistunt, sicut hereditas, ususfructus, usus, obligationes quoquo modo contraddae.* Nec ad rem pertinet, quod in hereditate res corporales continentur: nam et fructus, qui ex fundo percipiuntur, corporales sunt, et id, quod ex aliqua obligatione nobis debetur, plerunque corporale est, veluti fundus, homo, pecunia. Nam ipsum ius hereditatis, et ipsum ius viendi fruendi, et ipsum ius obligationis incorporale est, itemque POMPONIUS in l. 119. D. de V. S. Hereditatis appellatio sine dubio continet etiam damnosam hereditatem: *iuris enim nomen est, sicut bonorum possessio.* Maneat igitur, quod legimus in l. 24. D. eod. et l. 62. D. de R. I. *Nihil est aliud hereditas, quam successio in*

*vniuersum ius, quod defunctus habuit, transmissibile scilicet ita, vt ea tantummodo intelligantur iura, quae defuncti personam egredi potuerunt, nec eius morte soluuntur. Vid. PHILIP. NICAT. Vocabular. iur. vtriusque, Tom. II. p. 85.*

Quemadmodum porro vendi non modo possunt res corporales, sed etiam incorporales s. iura, l. 80. §. 1. D. de contrah. emt. ita quo minus hereditas itidem venditione auctio nesse in aliud transferri queat, nihil impedit, ceu patet ex Tit. D. et C. de her. vel act. vend. modo hereditas iam sit delata; Si enim (inquit POMPONIUS in l. 1. D. b. t.) hereditas venierit eius, qui vivit, aut nullus sit, nihil est adi, quia in rerum natura non sit, quod venierit.<sup>2)</sup> Quod de venditione hereditatis diximus, adeo verum est, vt hereditas adeo, de qua, an ad venditorem pertineat, adhuc dubitatur, vendi iure posit, vt testatur IAVOLENVS in l. 10. D. b. t. Quodsi, inquiens, in venditione hereditatis id actum est, si quid iuris esset venditoris, venire, nec postea qui quam praefitum iri, quamvis ad venditorem hereditas non pertinerit, nihil tamen eo praefabitur, quia, id actum esse, manifissum est, ut quemadmodum emolumenum negotiatio nis, ita perculum ad emitorem pertineret. Ceterum notari hic meretur, quod monet ANT. SCHVLTING. Thes. Controv. p. 324. Cum dicimus hereditatem vendi, non hoc volumus, vendi ipsum ius hereditarium, quod non potest non manere penes heredem, l. 88. D. de her. inst. ipsiusque heredem in infinitum, l. 194. D. de R. I. sed nos vendere commodum et emolumenum hereditatis. Eodem fere redit, quod

<sup>2)</sup> Proprie quoque non venditur hereditas, nisi adita, l. 2. §. 1. D. b. t. Quodsi nondum fuerit adita, non est hereditatis, sed specie duntaxat venditio, atque haec species exponitur in l. 8. sq. D. b. t. vt iam obsernauit B. BRANCHV in addend. Decad alter. Obj. ad I. R. adiect. p. 293. recte impone ns, eo casu non tam, quamna hereditatis portio, quam potius, quamna hereditatis cuiusdam spes vendita fuerit, inspicendum esse.

quod BRANCHUS scribit in addend. p. 286. vendi scilicet utilem  
ius hereditarii effectum.

Ad ius ad crescendi quod attinet, varie illud definiri solet ab iis, qui in explicando hoc iuris articulo versati sunt, inter quos DVARENVS, SC. GENTILIS, GOVEANVS, PAPILONIVS, RAMOSIVS ET MAIANSIVS eminent:<sup>3)</sup> IO. AVG. BACH in Disp. de iure ad cresc. §. 2. cum CVIACIO illud definit ius retinenda vel nanciscenda partis eius, qui non concurrit vel concurrende desit. Clarius tamen ideoque melior etiam mihi videtur definitio suppeditata ab ANDR. FEITHO in Tract. de iur. ad cresc. p. 30. Sic igitur, inquiete, definitur, quod sit ius, quo deficiente heredum eiusdem hereditatis, aut collegatariorum eiusdem rei portiones accidunt atque adiciuntur iis, qui portionem suam agnouerunt. De fundamento ac ratione huius iuris si quaeramus, aliam quidem in hereditate, in legatis aliam subesse deprehendemus. Ius enim ad crescendi, quod inter heredes obtinet, vulgata illa nititur iur. Rom. regula, quam POMPONIVS suppeditat in L. 7. D. de R. I. *Ius nostrum non patitur, eundem in paginis et testato et intestato decisissime, earumque rerum naturaliter inter se pugna est, testatus et intestatus.* Similiter CIC. de Invent. Lib. II. num. 63: *Vnius pecuniae plures dissimilibus de causis heredes esse non possunt, nec unquam factum est, ut eiusdem pecuniae alias testamento, alias lege heres esset, idque adeo seruari solet, ut quamvis quis ita heres institutus fuerit: excepto fundo, exceptio usufructu heres esto, iure tamen ciuili, ex auctoritate GALLI AQVILLI, perinde sit, atque si sine ea re (i. e. sine mentione certae rei) heres*

<sup>3)</sup> FRANC. RAMOS del MANZANO de iure ad crescendi in legatis et hereditatibus Commentatio methodica inserta est MEERMANNI Thes. Tom. VII. p. 280. GREG. MAIANSII disp. de iure ad crescendi autem legitur Tom. II. eiusd. Disp. Iur. p. 50. De iure ad crescendi inter coheredes exposuit etiam Cel. E. C. WESTPHAL in jaf. exercitaz. academ. Halae 1780. no. 8.



res institutus esset. *I. 74. D. de her. inf.* Conf. GREG. MANSII *Commentar. ad Trigint. ICor. fragm. Tom. II. p. 106.* Pluribus σύνθετοι illud praeter Commentatores ad *Tit. D. de R. I.*<sup>4)</sup> exposuit IO. GVIL. MARCKART *Interpr. Recept. I. C. Lect. p. 324. seq.*

Fundamentum contra iuris ad crescendi inter legatarios, ut iam docuit VLR. HVBER. in *Praelect. Iur. Ciu. p. 29.* est praesumta defuncti voluntas, quippe qui deficientem partem ad eum potius, cui eandem legavit rem, quam ad alium quemquam, vel ad heredem, a quo legavit, deo lui voluisse creditur. Locum tamen illud duntaxat habet inter re et mixtim coniunctos, inter verbis coniunctos contra, quidquid dicat ZACH. HVBER in *Caf. enucleat. p. 359. seq.* dicant et alii, non aequē, ut praeter alios docte et eleganter ostendit ALLARD. MERENS in *Diff. inaug. duas iur. ciu. quaeſt. continentiae*, (Leidae 1751.)<sup>5)</sup> Ceterum etsi sunt, qui ius ad crescendi re coniunctis competens praeceunte IVSTINIANO in *I. vn. §. II. C. de cad. toll.* potius ius non decrescendi dicendum esse existimant, haud iniuria tamen VLR. HVBERVS L. itemque ANDR. FEITHIVS de *iur. ad cresc. p. 37.* hac verborum multiplicatione haud opus esse monuerunt, quorum sententiae nos quoque adſtipulamur.

Sed ut tandem eo, vnde paululum defleximus, redeamus, quæſtio quidem ad disceptandum in praesenti a nobis proposita ita comparata est, ut fere cum TIBULLO dicendum esse videatur:

### Inſta

<sup>4)</sup> Vid. in primis PETR. FABRI *Commentar. ad Tit. D. de diu. reg. iur. pag. 48. seq.* Eodem pertinet, quod in *I. vn. §. 10. C. de cad. toll.* legimus, abſurdum felicit effe, eiusdem hereditatis partem quidem agnoscere, partem vero refuere.

<sup>5)</sup> Unum exemplum, in *I. 89. D. de legat. III. obuium*, excipit BACH. *I. c. §. 15.*

*Tuſta pari premitur — cum pondere libra  
Prona, nec hac plus parte ſedet, nec ſurgit ab illa.*


Nulla toto in iur. Rom. corpore exſtat lex, in qua vel mentio eius quaeftionis occurrat, nedum vt haec vllibi legibus diſertis definita fit. Nec ſuppetias nobis hic ferunt graeci interpretes, (*Baſili. Tom. II. p. 383. et Synops. Baſili. p. 196.*) titulum *D. de her. vel uct. vend.* tam ieiune exponentes, vt lege re profeſio miseria fit.

Reapte autem quatuor diuersae super hac re I Ctorum ſententiae ſunt, aliis commodum ex iure adcreſcendi proueniens ad emtorem pertinere ſimpliciter negantibus, aliis contra adfirmantibus, aliis iisque miſcellionibus recta quidem via idem ius ad emtorem haud tranſire cefentibus, nihil tamen minus emtori contra venditorem lucri illius communicaudi cauſa actionem emti concedentibus. LYCKLAMA de niue Membranar. Lib. VI. Ecl. 9 pag. 208. hanc quaeftionem, ſi, quid inter contrahentes actuū fit, haud appareat, ita decidiſtam eſſe putat, vt ſi heres aditam quidem, ſed nondum adpreheſiam hereditatem vendiderit, vna cum hereditate ius etiam adcreſcendi vendidiffe iudicetur, vendita contra hereditate, quam heres non modo adierit, ſed cuius etiam poſſeſſionem iam nactus fit, ius adcreſcendi in emtorem haud tranſeat.

Inter nouiſſimos, qui hanc quaeftionem attigerunt, eminent B. BRANCHV Obs. ad I. R. cap. 2. et G. L. MENKEN. in Diff. de iure adcreſc. vendita hereditate ad emtorem pertinente, quae legitur in eius Opus. Halae 1770. edit. pag. 259. seq.<sup>o</sup>) Nobis quidem in praefenti praecipue cum BRANCHIO, quippe qui perbreui in obſeruatione plus, quam longa verboſaque

in

<sup>o</sup>) Idem argumentum traſtauit IO. VANDER VOORT in Diff. de iure adcreſcendi venditoris, non emtori hereditatis competente, Lugd. Bat. 1721, quae tamen ad manus noſtras numquam peruenit.



in Diff. MENRENIVS, dixit, res erit, propterea quod illius profligatis copiis reliqui diuersam a nostra sententiam secuti sua sponte, ni animi fallimur, receptui canent.

Primum igitur extra omnem dubitationis aleam positum est, fieri haud posse, vt qui semel heres exstitit, heres esse definit. Ita quidem non modo disertis verbis scribit c A I V S in l. 88. D. de her. ins. sed idem etiam multis aliis iuris nostri locis, e. g. l. 7. §. 10. D. de minor. <sup>7)</sup> et l. 43. §. 3. D. de vulg. et pup. subst. clare prescriptum est. Conf. MARANVS in Oper. p. 331. Tanta scilicet est aditionis hereditatis vis, vt characterem quasi indelebilem imprimat ei, qui hereditatem eiusque partem sibi relictam semel ad se pertinere voluit, idque aut verbis expressis aut alio legitimo modo declarauit. Quod adeo verum est, vt vendita licet hereditate nihilominus vendor creditoribus hereditariis, itemque legatariis et fideicommissariis respondere, actionesque ab iis institutas excipere teneatur. Ratio iuris, inquit Imp. ANTONINVIS in l. 2. C. de her. vel act. vend. postulat, vt creditoribus hereditariis, et legatariis seu fideicommissariis, te conuenire volentibus, tu responderas, et cum eo, cui hereditatem venumdetisti, tu experiaris suo ordine. Nam, vt satis tibi detur, sero desideras, quoniam eo tempore, quo venumdabatur hereditas, hoc non est comprehensum. Quamuis enim ea lege emerit, vt creditoribus hereditariis satisfaciat, excipere tamen actiones hereditarias inuitus cogi non potest. <sup>8)</sup> Quid? quod olim vicefima hereditatis non ab em-

B 2

tore,

<sup>7)</sup> Vbi VLPIANVS: Sine dubio heres manebit, qui semel exitit.

<sup>8)</sup> Nec aliter VLP. in Pragm. XLIX. 14. Quodsi hereditas, posse aquam adita fuerit, in iure cessa sit, is, qui cessit, permanet heres, et ob id creditoribus defuncti manet obligatus, frustraque sane est BRANCHV l. e. p. 287. scribens, meram iuris civilis subtilitatem esse, quod apud venditorem non men inusque hereditis remanere dicatur. Nonne enim ipsa aequitas natura lis

tore; nisi id speciatim in se recepisset, sed a venditore soluenda erat, et si fortasse emtor eam soluisset, summa soluta venditori in premium imputabatur. Vid. I. P. S L E V O G T in Diff. de vicefima hereditat. §. 29. recte obseruans, eos, ad quos cura vicefimae exigendae spectabat, admodum fuisse attentos, ne hereditas vel ex compagno vel ignorantia in detrimentum filii iusto minoris veniret. Elegans, quod huc pertinet, exemplum legere est ap. PLINIVM Lib. VII. Ep. II. et 14. quo postremo loco ad corelliam, quae agros hereditarios PLINI relictos emerat, sic scribit: *Tu quidem honestissime, quod tam impense et rogas et exigis, ut accipi iubeam a te pretium agrorum non ex septingenis millibus, quanti illos a liberto meo, sed ex nongentis, quanti a publicanis partem vicefimam emisi.* Conf. G R O N O V I S de Sestert. Lib. IV. cap. 5.<sup>9)</sup> Neque profecto id mirum, cum certissima iuris sit regula, actus quo cunque ex praescripto regulae eos duntaxat, inter quos celebrati sunt, obligare, aliis contra praejudicium nequaquam iure inferre. Quae cum ita sint, sic, ni fallor, licebit argumentari: cum ius ad crescendi, nisi inter coheredes collegatariosque, lecum haud inueniat, emtor autem hereditatis nec heres nec legatarius sit, sed vendor heres maneat, sequitur, ut non illi, sed huic deficiens portio ad crescat. Atque haec omnia tam clara sunt ac perspicua, vt ipse BRANCHIVS ea

B 2

in

Ils exigit, ne creditoribus iniuitis emtor hereditatis tamquam nouus debitor obiciatur? Quod cum scribo, haud me praeterit, quod dixit I. M. G. BESECKE in Diff. de alienat. hereditat. ad l. 2. D. de ber. vel act. vend. Halae 1774.

9) Vberius de vicefima hereditatum exposuerunt P. BVRMANN in Tract. de vediabilibus P. R. Cap. XI. et ABR. WIELING. Lect. Iur. Civ. Lib. II. cap. 32. De eadem vicefima, in ylum denou deducenda, consilia pronosuit BOVCHAVD de l'import du vingtieme sur les successions chez les Romains. Paris, 1772.

■ ■ ■ ■ ■

in dubium vocare non audeat, sed potius *I. c. p. 5.* scribat: *Indeberilis cum sit heredis qualitas, l. 88. in f. D. de hered. inst.* nec alii a coherede ad crescatur deficientis coheredis portio, satis est extra dubium possum, non emtori, sed hereditatis venditori re-  
cta deficientium coheredum portiones ad crescere, frustraque pro-  
fecto est *G. L. MENKEN.* cum in *all. Diff. y. 9.* nobis persuade-  
re conatur, vendita quidem, sed nondum tradita hereditate ius  
ad crescendi penes venditorem permanere, ita tamen, ut em-  
tori actione emit experiens accepta restituat, tradita autem  
hereditate venditorem iure ad crescendi vel omnino, vel pro-  
ea parte, quam alienauit, penitus carere. Sed cum *MEN-  
KENIO,* tamquam hoste minus periculoſo, postea, si pugnam  
prius cum *BRANCHIO* depugnauerimus, facile transigemus.

Quandoquidem igitur quæſio *a BRANCHIO* mota haec  
est, *an emtori ad consequendum id, quod venditori adcrevit, actio  
emit competat?* hoc ante omnia dari nobis volumus, pacta  
ad ea, de quibus contrahentes haud cogitarunt, nequaquam  
proferenda extendenda esse. Satis hanc regulam firmat  
*VLPIANVS* in *l. 34. D. de R. I. Semper*, inquiens, *in stipulatio-  
nibus et in ceteris contractibus id sequimur, quod actum est, aut  
si non pareat, quid actum est, erit consequens, ut id sequamur,  
quod in regione, in qua actum est, frequentatur.* Quid ergo, si  
neque regionis mos appareat, quia varius fuit? Ad id, quod mi-  
nimum est, redigendo summa est, itemque in *l. II. §. 1. D. de act.  
emt.* In primis sciendum est, in hoc iudicio id demum deduci, quod  
praeflari conuenit: cum enim sit bonae fidei iudicium, nihil magis  
bonae fidei congruit, quam id praeflari, quod inter contrahen-  
tes actum est: quod si nihil conuenit, tunc ex praefabuntur, quae  
naturaliter in iuri huic iudicii potestate, idque propterea, quod  
contractus vtriusque contrahentis nituntur consensu, nec ob-  
ligatio sine vtriusque voluntate contrahitur, ideoque in inter-  
pretandis contractibus potissimum, quid egerint, quid volu-  
erint

erint contrahentes, animaduertere oportet; quod pluribus exsecutus est Ios. AVERANIVS *Int. Iur. Lib. II. cap. 30.* Iam si in venditione partis hereditariae aut verbis disertis ius etiam ad crescendi venit, aut hoc saltem, ut idem simul veneat, actum est, nemo dubitat, quin emitor partem, quae venditori forte adcreuit, actione emitte iure petere possit. Quid enim (verba sunt *I. t. D. de pac*t**) tam congruum fidei humanae, quam ea, quae inter eos placuerunt, seruare? quod etiam legitur in *I. 20. C. de transact*t**. Sin iuris ad crescendi in vendenda hereditate nec expressa facta est mentio, nec hoc, ut illud simul veneat, inter contrahentes actum esse, villo indicio apparet, quo quae*s*o*f* iure tacite id actum esse dicemus? Ego sane argumentum, quo hoc illa*es*a aequitate saluisque iuris regulis adstrui posfit, nullum video.<sup>10)</sup> Non hic dicam, quod de iure ad crescendi generatim dixit I. G. MARCKARTVS *I. c. p. 332.* Plane non video, quo praetextu, si a ciuilis iuris Rom. praeceptis auertamus oculos, illi, quem unicum heredem testator instituit fierquilini, slabili, caprae, decem aurorum, adjudicari queat uniuersitas patrimonii vel centum millionum excedentis summan. Auehat fierquilinum, occupet slabulum, capram abducet, contentus sit decem aureis, reliqua ne attingat.<sup>11)</sup> Hoc autem facile unusquisque mihi largietur, iniquissimum omnique iuri, quam quod maxime, contrarium esse, si quis parata ultra contrahentium intentionem operari debere, remque, de qua neuter illorum cogitauit, tacite simul veniisse, defensum eat. Vtar exemplo. Ecce ea, quae perpetui usus causa

B. 3

in

<sup>10)</sup> Venditorem tamen, etiam si id actum haud sit, emtori praestare debere, quidquid iure ad crescendi ad eum peruenierit, contendit quoque NOOT in *Commentar. ad Pand. Lib. 18. tit. 4. p. 404.* Perperam!

<sup>11)</sup> Testatorem, pluribus heredibus scriptis, hereditatem singulis non in solidum, sed pro portionibus virilibus relinquere, ipse agnoscat BRANCHIVS in *add. p. 25.* addens: *In legatis id verum est, re contractis isto-torem singulis rem in solidum legare, concursu postmodum dividendam.*

in aedibus sunt, aedificii esse, LABEO quidem ait in l. 17. §. 7. D. de act. emt. Nihilo tamen minus PAPINIANVS in l. 2. §. 1. D. de instr. vel instrum. leg. scribit: *Dotes praedium, quae graeco vocabulo ἴδιμα appellantur, cum non instrumenta legantur, legatario non praestantur; nec instrumentum fundi, et si perpetui usus causa fundo destinatum sit, cedit emtori, qui fundum simpliciter comparauit.* Conf. LEYSER. Spec. 209 med. 10.

Firmissimum igitur mihi videtur argumentum id, quo praeter alios vtitur C. L. CRELL. in Diff. de heredit. vend. §. 6. *Quidquid vendor iure ad crescendi lucratur, non cogitur emtori restituere, quia id videtur venitum, quod tempore venditionis ad illum pertinuit.* l. 2. §. 1. D. de her. vel act. vend. nisi aliud actum sit. Instat quidem BRANCHIVS, et ait, satis esse, si emtor eiusmodi quid sperare possit, cum spes etiam in commercio sit, emtorque hereditatis reapse spem simul commodorum ex hereditate vendita oriundorum emerit; ex verbis autem l. 2. §. 4. D. b. t. *Et non solum, quod iam peruerit, sed et quod quandoque peruererit, restituendum est;* patere, ea quoque, quae post contractam emtionem iure hereditario ad fieredem perueniant, vendita videri, ideoque emtori restituenda esse. Ego vero, incassum haec omnia dici, confidenter credo. Vendi sane potest spes; hoc equidem BRANCHIO libens largior. Sed qui spem vendere vult, cum hoc ipsum non modo cogitare, sed dicere etiam oportet. Altero profecto nemo, spem venisse, persuaderi sibi patietur. Atque id palam etiam prae se fert VLP. in l. 11. D. eod. Nam hoc modo, inquiens, admittitur, esse venditionem, si qua hereditas est tibi emta, et quasi spes hereditatis: ipsum enim incertum rei veneat, ut in rebus.<sup>12)</sup> Quod autem ad l. 2. §. 4. D. b. t.

vbi

<sup>12)</sup> Similiter de emtione spei POMPONIVS in l. 8. §. 1. D. de contr. emt. Aliquando et sine re venditio intelligitur, velut cum quasi alea emitur; quod

vbi VLP. ait, non modo quod iam peruenit, sed et quod quandoque peruenit, emtori restituendum esse, attinet, profecto illud alter, ac de hereditate, quatenus reapse verita est, intelligi nequit. *VLPIANVS* sane haec scribens de hereditate vniuersa vendita cogitauit. Ait enim: *Non tantum autem, quod ad venditorem hereditatis peruenit, sed et quod ad heredem eius ex hereditate peruenit, emtori restituendum est.* Nae bonum haud agit interpretem, sed male potius de arte nostra meretur, qui vna duntaxat legis particula inspecta cetera intacta relinquit, verbaque alter, ac ab auctore scripta sunt, interpretatur. De parte hereditatis vendita si cogitas set VLP. procul dubio scripsisset: Et non solum, quod ex ea parte iam peruenit, sed et quod quandoque peruenit, restituendum est.

Sed nec illud summa sit ratione a nostrae defensoribus sententiae vrgetur, iniquissimum fore, si pretio e. g. in quadrante hereditatis constituto vendor etiam reliquas, quae ipsi praeter omnem spem et opinionem postea demum adcreverunt, hereditatis partes eodem pro pretio emtori restituere compelleretur. Quis quoefo ita non desideret iustum inter rem venditam et pretium proportionem? Quis non ita statuenti omnem aequalitatem ac conuenientiam abesse occlamaret? praeceps cum remedium ex *I. 2. C. de ref. vend.* ideo hic locum non inueniat, quod vendor, modo hereditatem ipsam partemue venditam praestet, ad ulteriore euictionem praestandam regulariter haud obstrictus est, ceu patet ex *I. 14. §. 1.* et *I. 15. D. b. t.* *Si hereditas venierit, vendor res hereditarias*

*trade-*

*quod sit, cum captus piscium vel avium vel missuum emitat: emtio enim contrahitur, etiam si nihil incidit, quia speci emtio est; et quod missuum nomine eo casu captum est, si euictum fuerit, nulla eo nomine ex ente obligatio contrahitur, quia id actum intelligitur. De emtione speci praeter alios expoluit i. s. STRYCK. Halae 1714.*

—————

*tradere deber: quanta autem hereditas est, nihil interest, nisi de substantia eius affirmauerit.* <sup>13)</sup>

Neque vero ita vllijs momenti est, quod BRANCHIVS ait, haud raro eiusmodi euentus in spe vendita contingere, saepeque hereditates ideo maiore pretio venire; propterea quod non de ea specie, quando cum parte hereditatis vendita rapse ius etiam aderescendi, atque sic siam spes maioris emolumenti veniit, sed de ea potius, quando hoc inter contrahentes actum haud est, querimus. Mutat BRANCHIVS, ita disputans, quaestionem propositam, cuius cardo, ipso profitente, in eo vertitur: An hoc inter contrahentes actum intelligi debeat, ut etiam commodum adcretionis ad emitrem transfeatur? utique enim, inquit, si hoc actum non sit, non transbit.

Sed sunt etiam alia, quae suppetias nobis ferunt, quibus sententia nostra suffulcitur, argumenta. Sic non nullius momenti est, quod scribit VLP. in l. 4. §. 3. D. *Si quis omis. caus. test. Si quis vendiderit hereditatem, utique possidere videtur.* Quodsi enim vendor hereditatis hanc ipsam adhuc possidere videtur, consequens sane est, ut huic ipsi, nequaquam autem emtori vacans portio aderescat.

Haud minus hic facit l. 33. §. 1. D. de A. vel A. II. ubi CAIVS: *Qui semel aliqua ex parte heres exsisterit, deficientium partes etiam iniuitus excipit, id est, tacite ei deficientium partes etiam iniuitus aderescunt, quo cum etiam consentit MARCIANVS in l. 9. D. de suis ex leg. her. Si ex pluribus legitimis heredibus quidam omiserint adire hereditatem, vel morte, vel qua alia ratione impediti fuerint, quominus adeant, reliquis, qui adierint, adref-*

<sup>13)</sup> Remedium tamen l. 2. C. de res. vend. in venditione etiam hereditatis, nisi heres ius suum tamquam spem plane incertam vendiderit, locum habere contendit LEYSER Sp. 198. cor. 2. et Sp. 205. med. 4. Credat, qui volunt, mihi sane nunquam persuadebit, nec perfusit CRELLIO l. c. §. 9.

47

*ad crescere illorum portio, et licet decesserint, antequam ad crescere  
ret, hoc ius ad heredes eorum pertinet.*

Sic porro heredi fiduciario post restitutionem suae portionis ius ad crescendi adhuc saluum esse, dubitare nos haud patitur *I. 43. D. ad S<sup>t</sup>etum. Trebell. iunct. I. 4. et I. 27. §. 2. Q. eod.* iam cum eundem heredem fiduciarium similem esse hereditatis venditori diserte scribat **IUSTINIANVS** in §. 6. *I.* de fideic. hered. Sed, inquiens, *quarta quidem retenta quasi partis et pro parte stipulationes interponebantur, tamquam inter partiarium legatarium et heredem: si vero totam hereditatem restituueret, emtiae et venditae hereditatis stipulationes interponebantur,* necessario inde sequitur, ut hereditatis venditori, perinde ac heredi fiduciario, portio vacans ad crescere. Conf. **A.B.R. WIELING. Lect. Iur. Civ. Lib. II. cap. 31.** Neque huic sententiae obstat *I. 83. D. de A. vel A. H. vbi VLP.* Si totam, an <sup>14)</sup> partem, ex qua quis heres institutus est, tacite rogatus sit restituere, apparet, nihil ei debere ad crescere, quia rem non videtur habere; propterea quod ibi sermo est de eo, qui hereditatem incapaci se restituturum esse promisit, quippe qui omne commodum, quod alias ex testamento aut occasione testamenti consecuturus fuisset, atque adeo ius etiam ad crescendi amittit, vt iam monuit **VINNIVS** *I.c. p. 341.* Et si hereditate in aliquem transflata ius simul heredis in eum transferret, quid quoquo opus fuisset, Sc<sup>t</sup>o Trebelliano sancire, ut si hereditas ex causa fideicommissi restituta sit, omnes actiones, quae iure ciuili heredi et in heredem competenterent, ei et

<sup>14)</sup> Tō an aut eiendiundum, aut in eam mutandum censet **BRANCHV** in addend. p. 289. sed perperam. An hic positum est pro fine, vt saepe alibi. Exempla inuenies in **GESNERI** *Tbel. L. et E. R. sub v. an. n. 7.* Ait igitur *Ictus: Si totam (sc. hereditatem,) sive partem, ex qua quibus heres institutus est, rel.*

decorative separator

et in eum darentur, cui ex fideicomisso restituta esset hereditas? §. 4. I. de fideic. hered.

Nec contemnendum est argumentum, quo vtitur VLR. HVBERVS in *Praelect. ad Tit. D. de her. vel act. vend. p. 982.* quemadmodum scilicet heres, eti res ad suam portionem pertinentes mensa posita publice distractisset, pretiumque a multis collegisset emitoribus, nihilominus, patentibus omnibus iure ad crescendi gauderet, ita nullam adesse rationem, quare portione vni vendita vendor iuris illius iacturam fecisse putandus sit. Sin quis infret et dicat, emtorem unum habere totum ius, secus ac emtores multos, recte ei regerendum censet HVBERVS, si rebus alienatis hereditaria portio non retineretur, fundamentum iuris ad crescendi aequre ablatum esse heredi, qui multis, ac ei, qui vni omnia partis suae bona vendiderit. Quin (addit) emtor etiam unus, eti omnia bona consequatur, ius tamen habet omnino particulare, eoque censetur, ac ita tenetur, vt ad *Tit. de her. pet. n. 4.* demonstratum est.

Ceterum non vtimur argumento, quo usus est FEITHVS l.c. p. 101. Non habet, inquiens, locum ius ad crescendi in contractibus, ergo nec transit in emtorem hereditatis, quod sane dici haud oportuit. Recte enim iam monuit MENCKEN l.c. p. 280. aliud esse, in contractu locum habere, aliud rursus, ex contractu acquiri; quod tam clarum est ac perspicuum; vt quisquis alter sentiat, nihil sentiat.<sup>15)</sup>

Sed cum BRANCHIVS pag. 8. variis in rem suam vtratur argumentis, Cum, inquiens, ius omne hereditarium vendatur l. 2. pr. D. de her. vend. et omnia inde orientia lucra, d. l. 2. §. 7. et 9. etiam futura; d. l. 2. pr. et §. 4. adeo vt in omnibus em-

tor

<sup>15)</sup> De iure ad crescendi in pactis successoris, hanc plane exulante vid. V. S. R. HOMMELI Rb. pf. Olf. 69.

tor vicem heredis obtineat, d. l. 2. §. 18. necessario dicendum videtur, partem ad crescentem ad emtorem peritene debere; age, nullum iis pondus inesse, ostendamus.

Si quis omnes §. §. l. 2. D. b. t. a BRANCHIO citatos vel obiter perlegerit, nae is statim intelliget, VLPIANVM mente ac cogitatione anticipasse, (s. suppositiss.) totam hereditatem venditam esse. Loquitur enim omnibus illis locis de hereditate vendita, itemque de venditore ac emtore hereditatis, i. e. totius s. vniuersae. De parte contra hereditatis vendita nec vola ibi nec vestigium occurrit. Nullum igitur planum est dubium, quin ICtus id, quod de tota hereditate sermonem instituens generatim dixit, si de vendita hereditatis parte locutus fuisset, ad hanc etiam speciatim restrinxisset, dictaque iustos intra fines coercuisse. Sit igitur venditum omne ius hereditarium cum omnibus lucris inde obuenientibus, tam praesentibus, quam futuris; vicem etiam heridis emtor hereditatis obtineat. Haec omnia equidem nequaquam in dubium vocabo, modo vicissim BRANCHIVS id mihi concesserit, generatim ea intelligenda esse, tota si vendita sit hereditas, speciatim contra, si de parte hereditatis vendita quaeratur. Neminem profecto, qui vel leuiter veterum fragmenta ICtorum attigit, latebit, saepe, quae καθόλε ab iis proferuntur, vera haud esse, nisi κατά τι, i. e. pro subiecto arguento, accipiantur. Haud raro sane ICtis generales exciderunt loquitiones, quae falsae sunt, nisi ad speciem propositam restringantur, ut praeter alios iam monuerunt C. H. ECKHARD in Herm. Iur. Lib. I. cap. 5. §. 202. et AVCTOR ANONYM. Obs. Iur. Ciu. quae Hagae Com. 1743. prod. p. 31. Taceo iam, in d. l. 2. pr. de euictione a venditore hereditatis haud praeflanta, in eiusdem §. 18 autem de nomine, quod defunctus venditori debebat, vendita hereditate confusione haud exstincto sermonem esse, eoque magis falli BRANCHIVM



CHIVM, cum VLPIANI verba ultra eius intentionem profert; dictaque *natura* & generaliter accipit. Nec statim is, qui aliqua in re vicem alterius obtinet, per omnia iisdem, quibus hic, iuribus fruitur, cuius rei tot exempla existant, ut non possint non cuiilibet statim in oculos incurtere.

Fortissimum denique argumentum BRANCHIVS inuenisse sibi videtur in l. 2. §. 2. D. b. 2. vbi ita VLPIANVS: *Il-*  
*lud potest quaeri, si etiam impuberi sit substitutus is,* qui vendidit hereditatem testatoris, *an etiam id, quod ex impu-*  
*beris hereditate ad eum, qui vendidit hereditatem, pertinet, ex*  
*emto actioni locum faciat?* Et magis est, ne veniat,<sup>16)</sup> quia alia  
*hereditas est.* Licet enim unum testamentum sit, alia tamen at-  
*que alia hereditas est.* Plane, si hoc actum sit, dicendum erit,  
*etiam impuberis hereditatem in venditionem venire, maxime si*  
*iam delata impuberis hereditate venierit hereditas.* Iam ait  
BRANCHIVS: *Quanam ratio fuit dubitandi?* Hanc sufficit de-  
*cendendi ratio expressa, quia alia hereditas est.* Ratio igitur du-  
bitandi fuit, quod eadem videretur hereditas, nempe paterna;  
ergo pro certo habere debuit Vlpianus, hereditate vendita partem  
hereditatis eiusdem, quae postea acquireretur hereditatis vendi-  
tori, ex emto actioni locum facere. En cor Zenodoti! en-  
iecur Cratetis! Ego sane miror, haec

*Et dici potuisse, et non potuisse refelli.*  
Monuit quidem iam aliquid contra hoc argumentum CHRISTER.  
WAECHTLER in Act. Erudit. an. 1722. p. 249. Atqui, inquiens,

<sup>16)</sup> Male hic criticum agit BRANCHIVS, pro *Et magis est, ne veniat* legens:  
*Et magis est, ne faciat.* Repte enim se habet & *ne veniat*, scilicet id,  
quod ex impuberis hereditate ad eum, qui vendidit hereditatem, perne-  
dit. De substitutione autem pupillari hic sermonem esse, tam clarum est  
atque perspicuum, ut nulli ea de re subnacti dubium iure positi. Vid.  
BRANCHIVS in addend. p. 309.

similis ratio dubitandi reiecitur in l. 1. D. de res. vend.<sup>17)</sup> ac  
toties alibi. Sed respondit etiam WAECHTLERO BRANCHIVS  
in Addend. p. 2. et quidem distinguendo, his verbis: *Vel ratio  
dubitandi est propositio falsa, vel est propositio vera, sed ad ca-  
sum, qui tractatur, ob circumstantiarum diversitatem non perdi-  
nens.* Prior impia est et nuda insinuatione reicitur, vt in l. 1.  
D. de res. vend. Posterior grauis est, nec aliter tollitur, quam se  
offendatur, speciem, quae tractatur, esse diversam, quod sit in l.  
2. §. 2. D. de her. vel. aet. vend. Non hic repetam, quod ali-  
bi (*Int. et Obs. cap. 17.*) iam dixi, haud omnes felicet veter-  
rum ICTORUM rationes tam accuratas esse, vt in iis nihil des-  
ideres, et si idem alii etiam obseruarunt interpres, e. g. IAC.  
VOORDA *Int. et Emend. I. R. Lib. I. cap. 10.*<sup>18)</sup> ibique lauda-  
ti, nec omnes omnino ferupulos exemit F. G. HOVCKIUS in  
*Diss. de rat. vet. ICTOR. falso suspect. in OELRICH. Thes. Diff.*  
*Seled. Vol. I. Tom. I. p. 31. seq.* Sed non vtar iam illa depul-  
tione, quippe qui plane peritus sum, BRANCHIVM, cum  
argumentum illud proferret, suum haud satis aduocasse ge-  
nium. Ait VLP. *Et magis est, ne veniat, quia alia hereditas*  
*est.* Quis non videt, ICTORUM usum hic esse ratione proxima  
proprieque ad speciem, de qua tunc quaerebatur, pertinente?  
Quod ex hereditate impuberis ad venditorem hereditatis te-

## C 3

stato-

<sup>17)</sup> Species d. l. 2. haec est. Cum filius Titio rem peculiareni vendidisset, po-  
steaque, vt ab ea venditione recederetur, inter patrem et Titium conve-  
niasset, quarebatur, hicne filius, an filius etiam liberatus esset? Ratio  
dubitandi erat: *Si pupillus sine tutoris auctoritate pacificetur, ita quidem*  
*liberatur, non etiam, qui cum eo pacius est.* Sed recte haec dubitandi  
ratione POMPONIUS ait, *patre paciente et liberato aduersario filium*  
*quaque obliter* (i. e. consequenter) *liberari.*

<sup>18)</sup> De rationibus vet. ICTORUM conf. etiam REINOLDI Opus. p. 170. et  
HERMI CANNEGIETERI Commentar. ad frag. vet. iurispr. p. 180. nec  
non VINNII Sch. Iur. Quaest. p. 392.

¶

flatoris peruererat, ad emitorem huius hereditatis ideo non pertinebat, quia non impuberis, sed testatoris hereditas venierat. Neque vero aliae deerant rationes, quae quidem ab VLP. haud cumulatae sunt, ceterum proxima illa et huius causae propria haud excluduntur. Fecit VLP. quod quilibet nostrum facere solet fere quotidie. Protulit rationem principem, eo ipso autem reliquias haud exclusas voluit. Fallit igitur vitioque visibili laborat BRANCHIUS argumentum. Quis quoefo, si dicerem: Titius non potest testari, quia impubes est, inde concluderet: ergo, qui impubes haud est, recte testatur? Posuntne enim impedimento esse aliae etiam rationes, quae proxima illa haud reiiciuntur? Et si praeterea cogitamus, in veterum fragmentis ICTORUM argumento, quod vocant, a contrario haud temere videntur esse, ut iam docuerunt NOODT Prohab. I. 3. MARCKART. Probabil. Rec. I. C. Leg. P. II. p. 161. aliique, omnis profecto argumentia BRANCHIO prolati vis euanescat atque in sumum abibit.<sup>19)</sup>

Postquam denique BRANCHIUS multum logices peritia gloriatus est, ut plane os occluderet aduersariis, l. c. p. 303. duos proposuit syllogismos, quorum primus ita comparatusest:

*Commoda partis venditae, etiam futura, sunt emitoris;*

*Pars ad crescens est commodum partis venditae,*

*Ergo pars ad crescens est emitoris,*

fecun-

<sup>19)</sup> Argumentum hoc a contrario petitum nullius momenti esse, vidit quoque AVCTOR Dis. de commode iuriis ad crescendi, ubi vendita est hereditas, contra quem BRANCHIUS disputat in addend. p. 285. seq. sed tam misere atque confuse, ut facile naufragium creare vel patientissimo possit. Ceterum haud placet, quod dixit olim ZOESIVS in Commentar. ad D. Tit. de legat. Nec tenetur venditor, eam (substitutionem) cedere emitori, quod alia sit hereditas impuberis a paterna, vti et hic alia est hereditatis pars, quae accedit iure ad crescendi, ab ea, quae vendita, nec dum debita venditori tempore venditae hereditatis, et de ea non possit videri adum ant cogitatum. Nec enim multum inter eiusdem hereditatis partem aliquam hereditatem interest, ut iam notauit MENCKEN l. c. p. 273.

secundus autem, quo veritatem propositionis minoris syllogismi prioris probatum iuit, sic:

*Quod quasi adluitur parti venditae, est commodum eius;*

*Pars ad crescens quasi adluitur parti venditae;*

*Ergo pars ad crescens est commodum eius.*

Enimvero utraque ratiocinatio quatuor complectitur ideas, ideoque procul omnī dubio vitiosa est. In prima enim *re commodum* ideo laborat aequiuocatione, quod *commodum* vel emolumenta ex ipsa parte hereditatis vendita prouenientia, vel alia ex iure hereditario oriunda heredisque personae inherentia significat; et postremo hoc sensu qui *re commodum* hic sumit, is profecto principium petit, seu id, de quo quaeritur, pro certo ponit. Quod autem ad alteram *BRANCHII* argumentationem attinet, vitium latet in verbis *quasi adluitur*, quibus simile aliquod, quadam sui parte simul dissimile, significatur. Recete iam mouuit *FEITHIVS l. c. p. 105.* comparationem illam iuris ad crescendi cum alluvione, qua *PAPINIANVS* in *I. 33. §. 1. D. de usfr.* <sup>20)</sup> vtitur, haud omnino, sed in modo duntaxat tacite accedendi, quadrare. *Similitudo*, inquit, *in eo cernitur: sicut alluvio latenter et paulatim agro nostro aliquid adiicit, licet apud nos incertum sit, quantum quoquo temporis momento adiiciatur, ita et ius ad crescendi latenter ipsique iure partem vacantem parti quaestiae adiicit, licet factum eius, cui ea pars ad crescere, non accedat.* Raro parabolam totan

<sup>20)</sup> Verba d. I. 33. §. 1. D. de usfr. sunt: *Vsumfructum in quibusdam casibus non parti effectum obtinere conuenit; unde si fundi vel fructus portio patitur, et absolutione fecuta posita pars altera, quae adcrevit, vindicetur, in litis quidem proprietatis indicatae vel exceptionem obstat, in fructu vero non obstat, exhibet latitans, quantum portio fundi velut alluvio portioni, personae fructus adceresceret. Legato scilicet vultu, uno diciente portio ad crescere personae coniuncti, et si hic portionem suam amserit, cum contra in proprietate legata portio deficiens non personae, quae portionem suam amisset, sed portioni agnitive adcerescat; unde illud ius ad crescendi personale, hoc autem reale vocare solent interpres. Vid. *MATIANSIVS l. c. pag. 81. sequ.* et *BACH l. c. pag. 25.**

decorative separator

tam rei comparatae per omnia conuenire, iam obseruauit  
**EUSTATHIVS ad Homer.** idemque de parabolis N. T. monuit  
**I. T. KREBS Obs. in N. T. e. Fl. Iosepho pag. 48.** Quis queso in  
 similibus, quibus ICti Rom, subinde vñ sunt, maiorem conue-  
 nientiam expectet?

Superest, argumentis etiam a **MENCKENIO** in medium  
 prolati nihil roboris inesse, paucis ostendamus,  
 Ac ille quidem ait,

1) portionem deficientem non ad crescere personae, sed  
 portioni iamiam agnitae, quam quia non amplius habeat ven-  
 ditor, sed emtor, consequens esse, non illum, sed hunc iu-  
 re aderescendi gaudere,

2) idem colligi posse ex indeole emtioris venditionis, prop-  
 terea quod ea perfecta omne lucrum et damnum ad emto-  
 rem transeat,

3) hereditatis emtori vtilem, cessisque actionibus directam  
 competere hereditatis petitionem, qua etiam illa, quae ad-  
 creuerunt, a quoconque possessore vindicare possit.

Enimvero aut magnopere fallor, aut **MENCKENII** ar-  
 gumenta omnia, si quis ea iusta lance ponderet, ne vnius qui-  
 dem assis esse reperientur. Portioni deficiens por-  
 tio ad crescere. Audio. Sed portioni penes heredem  
 adhuc existenti. Sin haec in alium iam translata sit, ipsum  
 illud ius, heredis ossibus inhaerens, vice portionis venditae  
 fungitur, vt recte dixit **VINNIVS l. c. p. 342.**<sup>21)</sup> frustra organi-  
 niente **MENCKENIO p. 275.** quippe quem non modo resellit vlr. in  
*I. 4. §. 3. D. Si quis omisſ. caus. test. Si quis, inquiens, vendider-*  
*here-*

<sup>21)</sup> Haud enim satisfacit ratio, qua vñatur **HEINECCIVS** in **Dig. Part.**  
**III. §. 270.** q̄uo in univerſib⁹ indicis pratum succedit in locum rei, prop-  
 terea quod, vt recte monuit **VINNIVS l. c.** generalis haud est, nec ad  
 eum calum pertinet, quando quis partem suam hereditariam sine pretio,  
 e.g. donandi animo, in alterum transfluit.


hereditatem, utique possidere videtur, sed PAPINIANVS quoque in l. 30. pr. D. de heredit. pct. hic verbis: *Hereditas etiam sine vello corpore iuris intellectum habet.*<sup>22)</sup>

Deinde haud quidem ignoro, vt periculum, ita commodum quoque ex re vendita proueniens perfecta emtione venditione ad emtorem pertinere. Docet sane id totus D. Tit. de per. et comm. rei vend. Idem vero scio, id duntaxat valere, quatenus de periculo commode ex ipsa re vendita proueniente queritur, nequaquam autem illud ad res emtione venditione haud comprehensas extendendum esse.<sup>23)</sup> Iam cum supra satis ostensum sit, pactorum et contractuum vim maiorem haud esse debere, ac contrahentes esse voluerunt, supervacuum profecto fore, tam ficalne MENCKENII argumento refellendo diutius immorari. Turpiter sane ille se dedit p. 282. scribens: *Nam ex iis omnibus, quae ex legum dispositio- ne emtoris commodo cedunt, partes quoque sensisse intelliguntur, vel saltem sentire debuerunt.* Est enim hoc ipsum, an ius ad crescendi emtoris commodo cedat, τὸ γνωμενὸν αὐτὸν ἀγχοῦ, quod fundamenti loco ponni nullo modo potest.

Rursus vero idem principium petit, cum emtori portio- nis hereditariae eius quoque partis nomine, quae vendori postea adcrevit, hereditatis petitionem contra quemuis pol- fessio-

<sup>22)</sup> Quid? quod PAVLVS in l. 43. §. 3. D. de valg. et pap. subst. *Qui, in- quis, in fraudem legum fidem accommodat, adeundo heres efficitur, nec de- finet heres esse, licet res, quae ita reliqua sunt, auferuntur.*

<sup>23)</sup> Sunt et alia, quae lucro emtoris haud cedunt, quo pertinet, quod scribit VLP. in l. 2. §. 7. D. b. t. Solet queri, an et, si quid lucri occasione hereditatis vendori senserit, emtori restituere id debeat? Et est apud Iu- lianum haec quaesito tractata Lib. 6. Dig. et ait, quid non debitum ex- gerit, retinere heredem, et quid non debitum soluerit, non reputare: nam hoc feruari, vt heres emtori non praefuerit, quid non debitum ex- gerit, neque ab eo consequatur, quod non debitum praefuerit. Plura ex- exempla ipse habet MENCKEN, l. c. §. 22.



cessorem concedendam esse existimat. Ponit enim ita MENCKENIVS pro certo id, de quo maxime quaeritur, eoque ipso contra notissimas peccat artis dialecticae regulas, quod profecto fieri haud oportuit.

Denique neminem, spero, morabitur, quod idem ait p. 284. *Sq.* iniquum haud esse, si in emtorem lucrum aliquando vel maximum ex hereditate redundet, illud autem, quod iure ad crescendi heredi accedit, non nouam hereditatis partem, sed alterius potius partis incrementum esse. Belle, ita sim felix, et iueundae! Quasi scilicet, quod de lucro ad emtorem pertinente dicitur, ad res etiam, de quibus partes haud cogitarunt, proferendum portioque ad crescens, antequam ad crescit, ab altera, cui accedit, diuersa haud esset atque distincta. Nac patientissimus fit oportet, qui, cum eiusmodi argumentationes legerit, haud indignetur ac nauferet.

De vsu forensi quis quaerat, nec forum a nostra omnino abhorrere sententia, reperiet. En verba Promtuarii Berthochiani p. 9. edit. nou. *Ius ad crescendi non transit ad emtorem hereditatis, sed remanet apud venditorem, Struv. Ex. 23. tb. 70. nisi expresse illud sit conuentum, Hillig. ad Donell. L. 7. c. 12. lit. l.* Atque ita hoc etiam exemplo, haud semper forum a vero aberrare, docemur.



## COROLLARIA

### I.

Physiognomiam nequaquam omni usu destitui, iam olim  
animaduertit EVRIPIDES (*Icon. v. 239.*)

Τύπον δὲν εἰς τὰ πολλὰ εἰ μέρων περι,

Τὸ σχῆμα θώντις, εἰ πέφυνεν εὐγενής.

De homine plerumque quis indicauerit,

Figuram eius conspicatus, an sit generosae indolis.

Conf. HEINECCI diss. de incessu, animi indice, (in Syllog.

Var. Opus. num. 4.)

### II.

Male BRUMMERVS (*Opusc. p. 450.*) in *L. vn. C. Th. de*  
*Burgar.* loco *Burgariis* legit *Bulgariis*. Burgarii enim ibi sunt,  
qui in Burgis per I. R. limites habitabant eosque tuebantur.  
Vid. FRID. BESELII *Miscellan. Philolog. Crit.* (*Amstelaed.*  
1742.) *p. 228.* et HERM. CANNEGIETERI *Obs. I. R.* *p. 186.*

### III.

TRAIANVM Imp. non minoribus vitiis inquinatum, ac  
virtutibus illustrem fuisse, recte docuit BERGER in diss. *de*  
*Traiano non optimo.*

IV.

Fallit interdum, quod Poeta cecinit, posteaque SIDON,  
APOLLINAR, Lib. I Ep. 11. repetit: *Nil feriret ausa sedisio.*

V.

*Salmanni* majoribus nostris erant defensores, aduocati,  
mediatores, executores, fideiussores. Conf. IO. HEVMANNI  
Commentat. de *Salmannis* in *Opusc.* (Noriberg. 1747.) p. 289.

VI.

Haud iniuria praefectus quidam Parisiensis duo reos,  
quos praeceperanter ad laqueum damnauerat, ipsem de surca  
tollere, mortuosque osculari et honorifice sepelire coactus  
est. Conf. sc. GENTILIS de *iurisdict.* Lib. III. cap. 17.

VII.

Falluntur, qui quoties in veteribus chartis *rō carnifex*  
legunt, semper eos, quos hodie carnifices appellare solemus,  
intelligunt, cum idem verbum haud raro *lanionem* signifi-  
cet. Vid. c. L. SCHEIDT v. hoh. u. nied. Adel in Deutsch.  
pag. 24.

VIII.


Mulier lactans, cuius infans nec lacte carere, nec aliun-  
de illud accipere potest, tormentis poenaue capitali aut cor-  
porali subiici nequit. Vid. G. H. MYLII progr. I. H. SCHWAR-  
TZII diff. de *felonia vasalli ex caus. adulter. et supr. adiecit.* Lips.  
1731.

**ULB Halle**  
005 361 435

3







DE

IVRE ADCRESCE  
NDI  
AD EMTOREM HEREDITATIS  
HAVD PERTINENTE

ILLVSTRIS

IVRISCONSVLTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOSIA LVDOVICO ERNESTO  
PÜTTMANN

I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORD  
NEG NON COLLEG. ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXX. MARTII MDGCLXXX

H. L. Q. C

D I S P V T A B I T

FRIDERICVS CAROLVS SIEGMANNVS

STOLLBERGENSIS

LIPSIAE

E X O F F I C I N A H O L L I I

1780-14.  
1416